

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

interest, tamen à te, si inquirere isthic potes, doceri velim. Nam inter cæteros versus, hic velut intercalaris subinde repetitur : Ut ferrum magnes mea me sic attrahit Agnes. Sed has nugas omitto, & te, cum familia & schola universa DEO commendo. Existimo etiam ad amici officium pertinere, ut indicem, esse isthic quendam, inter convictores tuos, ut audio, qui ad collegam quendam meum, subinde virulentissimè de vobis scribit, quid Narrenbachius, & Kirchnarrus, & alii isthic obscuro theologi, contra doctiss. illos & optimos viros moliantur. Idem ille apud nos carmina in patres Bergenses & alios famosa pangere, & in domo illius patroni & præceptoris sui, tanquam aliunde missa, spargere solebat. Non igitur prorsus de nihilo est, quod de Jeremia propheta ille scripsit; eum tot hostes, quot auditores, tot VIPERAS, quot COLLEGAS habuisse. Benè vale, Nonis Martii, 1583.

David Chytræus.



LXI.

Salutem in servatore Christo. Reverende & clarissime

D. Doctor, Domine amice & frater plurimum colende.

SI *μυλαρχολικὴ ἀκρόασις* mea, quæ multos jam menses plus solito me vexat, nota tibi esset, non modò excusatum me facile haberes, qui tot & epistolis & officiis tuis provocatus, tam rarò rescribo, sed etiam mihi ex animo condoleret. Sed de hac re post Pascha coràm pluribus tecum agam, DOMINO volente, ac de multis aliis. Erit enim mihi descendendum Gebulium ad nuptias filix præfecti Alstatini affinis mei, ad quas Memmingenses quidam venient, quibuscum omninò mihi erit colloquendum. Inde non committam, quin ad vos excurram. Interea per hunc M. Adamum Folsium nostrum mitto pecuniam, qua satisfiat Contubernio, pro tribus illis adolescentibus. Quæ verò & tibi & Contubernio pro fratre Petro debeo, ea dissolvam, cum venero, teque admodum oro, ut ne hanc moram ægre feras. De Conventu Quedlinburgensi nihildum audi, & ut in rebus dubiis solet fieri, meo magis, quam spero. Colonienfè negotium, non dubito, vobis perspectissimum esse; nos hic nihil scimus, quam quæ in tonstrinis decantantur, multa tamen sunt, quæ nos valdè reddunt anxios. Gratissimum igitur fuerit, si per otium aliquid significaveris, maxime ut habeam, quod Reverendo Seni, D. Doct. Sulcero communicem, qui & semper isto officii genere delectatus est, ut scis, & nunc à me multò impensius requirit. Sal. reverenter adscribo D. Collegis tuis, & nomine marito, M. Ulricho, cui, cum venero, levidense quidem, sed tamen affe-

ram

A. 1583.

ram *paschalis*

1583.

PARS QUINTA.

667

Bene in DOMINO vale. Argentorato, XI. Martii, Anno

Tuus in DOMINO frater


Joh. Pappus, D.

LXII.

S. Reverende & clarissime Compater.

Quæso ut per hunc civem nostrum, restâ ad nos rediturum, tandem respondere aliquid meis literis, & paginam in Concordiæ libro deficientem XX. mecum communicare & de tuæ patriæ & Academiæ vestræ statu me docere digneris. Bene vale. Postridie Trinitatis, anno 1583.

David Chytræus.



LXIII.

Salutem à filio DEI. Reverende & clarissime

viri, amice colende.

Multis nominibus R. d. t. gratias debeo, tum quod prior ad me literas dederis, tum quod præclare de me & filio Samuele meritus sis. Equidem jamdudum respondere debueram, verum partim professionibus & negociis publicis (quod nosti) ad salutem Ecclesiæ spectantibus, partim aliis domesticis negociis & difficultatibus hic implicitus fui, ut non potuerim præstare id, quod tamen omninò præstandum erat. Tandem ergo postquam aliquo saltem modo ex difficultatibus & occupationibus illis eluctatus sum, scribendum putavi. Ac R. d. t. pro singulari erga me meosque benevolentia, quantas possum animo concipere, max. gratias ago, relaturus, si commoda occasio data fuerit, viresque meæ id permiserint. Quinque etiam florenos, quos filio mutuo dedisti, cum gratiarum actione remitto. Citius reddere debuissem, verum non potui. Ne moram solutionis R. d. t. moleste ferat, etiam atque etiam rogo. His paucis R. d. t. DEO opt. max. commendo. Raptim Heidelbergæ, 1. Julii, Anno salutis 1583.

Pppp 2

Mit-